

V c  
1706



h



h. xvii, 21. T. 211.  
FRIDERICI SAPIENTIS

Vc  
1706

SEPTEMVIRI SAX.

BINA APOPHTHEGMATA

IN SYMBOLO

SERENISSIMI PATRIS  
PATRIAE

REPETITA

ATQVE SVB

HVIUS NATALEM EXOPTATISSIMVM  
FINEMQVE LVSTRATIONIS

ILL. GYMNASII

GRATVLANDI CAVSSA

PUBLICIS SERMONIBVS ILLVSTRATA

AB

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI

ALVMNIS SELECTIS

ERNESTO MVLLERO

WALHVSA-THVRINGO

IO. CHRISTOPHORO RITTERO

CABARZO-GOTHANO

IO. GOTHOFREDO GRVSS

GOTHANO

QVOS

PIIS VOTIS BONISQVE OMINIBVS

SOLENNIBVS PUBLICIS INTERSTREPENTES

PRODVGIT

IO. GODOFREDVS LESCHNERTVS

ILL. GTMN. P.P.

GOTHAE, LITERIS REYHERIANIS.



\* \* \*


**E**a est hominum non nullorum, uel superstitio, uel imprudentia, ut, nescio qua, religione constricti, prout omne omnino iocandi genus damnant, ita etiam facete dicta, quae ad iocos pertinent, quaeque Graecis uocantur ἀποφθέγματα, malis, siue, ut Vulgata habet, otiosis, uerbis, quorum rationem, in die iudicii, redditori sunt homines,\* haud dubitent annumerare. Non dicam nunc de Quackerorum turba, quippe quorum, omnes sine discrimine iocos, tanquam cum grauitate pugnantem Christiana, pio homini interdicentium, argumenta leuia multo grauioribus pridem a SAM. SCHELVIGIO confutata sunt.\*\* Sanctissimos autem prudentissimosque coetus diuini doctorum, AMBROSIVM, HIERONYMVm, et Io. CHRYSOSTOMVM, miror, siue profanae odium Philosophiae, seu huius potius abusum, qui merito crimen habere Poetae dicitur, eo permouisse, uti hic, urbane et facete dicta, risum solum mouere, ab iisque, qui Christiani sint, abesse, iste, iocularitatem, quam uocat, risum auditoribus mouentem, a sanctis uiris, quibus magis conueniat flere, atque lugere, penitus propellendam, ille, iocos, quos Philosophi ponant inter officia, ab Ecclesiastica abhorrente regula, atque adeo, non solum profusos, sed omnes etiam, iocos declinandos esse, arbitrarentur.\*\*\* Vt enim taceam,

docto-

\* Matth. XII, 36.

\*\* In Quackerismo confutato, Artic. XIX, Antith. II, p. 280, seq.

\*\*\* Vid. AMBROSIVS, Officior. Lib. I, c. XXIII. HIERONYMVS, Commentar. in Epist. ad Ephes. c. V, 4. *Scurrilitas, inquit, consulto appetit quaedam, uel urbana uerba, uel rustica, uel turpia, uel faceta, quam nos iocularitatem alio uerbo possumus appellare, ut risum moueat audientibus. Verum et haec a sanctis uiris penitus propellenda,*



doctores hosce, ea in re, sibi non constare, \* illa certe opinio, qua eiusmodi quoque, qui risus tantum caussa dicuntur, sales indigni habentur uere Christianis, Stoicam sapere ἀπάθειαν, et cum sacris literis haud plane congruere, Seruatoris autem uerba, quibus condemnat eos, qui rident in hoc saeculo, quaeque Patres illi, pro confirmanda

) ( 2

sua

lenda, quibus magis conuenit flere, atque lugere. *Vi in Hebraico quoque Euangelio legimus, Dominum, ad discipulos loquentem.* Et nunquam, inquit, laeti simus, nisi cum fratrem uestrum uideritis in charitate. Vid. OO. Tom. IV, Part. I, p. 380, Edit. Paris. Idem, Epist. XCVII, ad Demetriadem scribit, *Ridere, et rideri, saecularibus derelinque*, ibid P. II, p. 792. Item, in alio Commentar. in Epist. ad Ephes., qui tamen falso Hieronymo tribuitur, Risum grauitati Christianae non conuenire, legimus, quia ad rem non pertineat coelestem et diuinam. T. V, p. 1057. CHRYSOSTOMI uerba haec sunt, *Τί ὀφθαί τὸ ἀσθεῖον εἰπεῖν; Γέλωτα ἐκίνησας μόνον*, in Epist. ad Ephes. c. V, Homil. XVII. Vid. OO. Tom. V, p. 1000, Edit. Francof. Et paullo post, *Εὐτεράπελος*, inquit, λέγεται, ὁ ποικίλος, ὁ παντοδαπός, ὁ ἀσατός, ὁ εὐκόλος, ὁ πάντα γινόμενος. *τοῦτο δὲ πόρρω τῶν τῆ πέτρα δουλεύοντων*, ib. p. 1001.

- \* Quod ad AMBROSIVM attinet, ita de eo iudicat LAVR, VALLA. *Ambrosius, Offic. L. I, praecepta de iocandi disciplina ab Ecclesiastica regula abhorrere, putat, et tamen 3. Reg. inducitur Helias, solitarius ille & bonus, Baalis sacerdotes deridens.* Quae Vallae uerba PITHOEVS affert, ad Quindcial. Institut. Orat. L. VI, c. III. Ita, HIERONYMI dictum cum *Scriptura ipsoque Hieronymo non ex affe congruere*, dicit BALDVINVS, Commentar. in Epist. ad Ephes. c. V, P. I, Qu. IV, p. m. 273. CHRYSOSTOMVS autem, uerba Paulli, Col. IV, 6, *ὁ λόγος ἡμῶν πάντοτε ἐν χάριτι, ἀλατι ἡστυμένος*, interpretaturus, *τοῦτέστι*, inquit, *μη εἰς ἀδιαφορίαν τὸ χάριεν ἐκπίπῃ.* *Ἐν γὰρ καὶ χαριεντίζεσθαι ἐν καὶ μετὰ τῆς προσηκούσης κοσμιότητος τοῦτο ποιεῖν*, in Epist. ad Col. c. IV. Homil. XI. Vid. OO. T. VI, p. 240.

sua illa sententia, excitant,\* ad securitatem Epicuream, et *ἐπιχαιρεκαλίαν*, magis pertinere, haud absurde BALDVINO uidentur.\*\* Quicumque igitur cum Balduino, Schelgugio, aliisque recte sentientibus, meliora sunt edocti, hi, prout impios iocos, omnemque orationis obscoenitatem et stultiloquium (liceat enim hac Plautina uoce uti) tanquam *οὐκ ἀνήκοντα*, a Paulo prohibita,\*\*\* prout, inquam, omnem sermonem turpem, omnemque adeo illam *εὐτραπέλιαν*, de qua Apostolus loquitur, quamque commemoratus supra CHRYSOSTOMVS ὄχημα τῆς πορνείας merito suo nominat,\*\*\*\* serio omnique animi contentione repudiant et detestantur, ita tantum abest, ut iocos sine exceptione omnes, et sales, uiro probo indignos, atque adeo etiam apophthegmata illa, quae nihil uel impietatis, uel obscoenitatis, habent, *ἀργὰ ῥήματα* esse, opinentur, ut potius ea, ipsis etiam hominibus Christianis, aliquod afferre posse ornamentum, eamque ob rem urbanitatem illam, quam Io. GERHARDVS, esse, dicit, ueritatis condimentum, figurate ac iocose dictis, ad alios monendos, delectandos, uel taxandos, seruata personarum, loci, ac temporis, ratione, utens, ad uirtutes octauae legis moralis praecepti, prout idem loquitur, secundarias ac minus principales, cum summis pientissimisque Theologis, rectissime censeant, pertinere.\*\*\*\*\* Nolo hic, cum non uacet in praesenti,

repe-

\* Scilicet Luc. VI, 25, quem locum affert AMBROSIVS, l. c. It. Io. XVI, 20, *Ὁ κόσμος χαρήσεται ὑμῖν δὲ ἰλυπηθήσεται*, quae uerba CHRYSOSTOMVS allegat, in Epist. ad Ephes. c. V, Homil. XVII. Vid. OO. T. V, p. 1000.

\*\* l. c. Quae hic habet BALDVINVS, repetit fere omnia, Commentar. in in Epist. ad Coloss. c. IV, P. I, Qu. III, p. 239, seq.

\*\*\* Ephes. V, 4.

\*\*\*\* In hunc Pauli locum commentans, l. c. p. 999.

\*\*\*\*\* Vid. Io. GERHARDVS, LL. Theol. T. III, c. XV, de Lege Morali, §. 175. it.

repetere argumenta, quibus summi hi aliique Theologi, suam hanc sententiam defendere annuntur.\* At illud tamen, non possum, quin addam, diuinum Paullum tanto minus fauere Quackerorum, aliorumque hominum *μωροσόφον*, opinioni, quanto idem disertius alio loco praecipit, orationem nostram gratia debere esse praeditam, saleque conditam.\*\* Enimuero fallor, an Apostolus, allegorica hac loquendi formula, ad urbanos illos et probos, omnibusque moratis gentibus usitatissimos, sales et facetias, quibus in sermone solent uti, ne, si is hoc prudentiae sale careat, tanquam cibus inconditus, fastidiatur, digitum quasi intendit, atque adeo sales et facetias tales, non modo approbare, sed etiam commendare, mihi uideatur. Tametsi enim plerique interpretes, per *τὸν λόγον, τὸν ἀλατι ἠρτυμένον*, nihil aliud indicari, autumant, quam sermonem, plenum iudicio et prudentia, tamen laudatus supra BALDVINVS, non tantum de prudentia sermonis locum hunc intelligendum, sed uerosimilius esse, censet, Paullum hic suauitatem sermonis commendare, quae morositati et austeritati, qua gratia omnis perdat, sit opposita\*\*\* Quid? quod in antecedentibus diserte dicit idem, eam hoc loco uirtutem *ὀμιλιτικὴν* a Paulo addi, quam Philosophi uocent *εὐτραπέλιαν*, seu urbanitatem et festiuitatem in sermone, quippe quem, uelit Apostolus, esse 1) *gratiosum*, *ἐν χάριτι*, ne quem offendant, 2) *sale conditum*, seu decentem, et, sub festiuitate uerborum, doctrinam aliquam utilem proferentem, ut moueat, et excitet ad

) 3

au-

It. IO. ADAMVS OSIANDER, Theol. Moral. P. Spec. Praec. VIII, §. XI, p. 147.

\* Conf. BALDVINVS, ll. cc. it. SCHELVIGIVS, l. c. et in Synopsi controversiarum, Art. XXXIII, de Libertate Christiana, Qu. III, et IV,

\*\* Coloss. IV, 6.

\*\*\* Comment. in hanc Epist. l. c. p. 238. seq.

auscultandum. \* Nemo, quod spero, id mihi uitio uertet, si postremo loco ad THEOPHYLACTVM prouoco, quippe cuius interpretatio mihi, cum Balduino, omnium maxime concinna uidetur. Is enim Paullum, hoc loco de urbanitate praecipientem, ita est interpretatus. Sermoni uestro insit iucunditas, uerumtamen in scurrilitatem non incidat, neque dissolutionem. Ceterum constringat etiam atque obturet, id enim sal indicat, neque sit supra modum iucundus et amabilis, nec supra modum austerus, ut cibus, si sale careat, iniucundus est, si uero praesalsus sit, gustui est ingratus omnino. Vtroque modo autem, nimirum si uel sale careat, uel nimium sit conditus, gustui est ingratus, et edi non potest.\*\* Atque haec de oratione nostra, sale condienda, Theophylacti interpretatio, nisi me omnia fallunt, plane conuenit cum Rhetorum antiquiorum praeceptis. Audiamus, si placet, FABIVM QVINCTILIANVM, de ea praecipientem, in sermone, uirtute, quae, risum iudicis mouendo, et illos tristes ioluit affectus, et animum ab intentione rerum frequenter auerit, et aliquando etiam reficit, et a satietate, uel a fatigatione, renouat. *Venustum* esse, inquit, quod cum gratia quadam et uenere dicatur, apparet. *Salsum* in consuetudine pro ridiculo tantum accipimus, natura non utique hoc est, quanquam et ridicula oporteat esse falsa. Salsum igitur erit, quod non erit insalsum, uelut quoddam simplex orationis condimentum, quod sentitur, latente iudicio, et uelut palatum excitat, quod et a taedio defendit orationem. Sane tamen, ut ille, in cibis paullo liberius aspersus, si tamen non sit immodicus, affert aliquid propriae uolupta-

\* l. c. p. 229.

\*\* in Commentar. in Epist. ad Coloss. IV, 6. Attulimus autem Theophylacti uerba ex Latina interpretatione Io. Oecolampadii, per Phil. Montanum emendata, quia Graecum exemplar euoluere non licuit.



luptatis, ita hi quoque in dicendo habent quiddam, quod nobis faciat audiendi sitim. Hactenus **QUINCTILIANVS**,\* Quibus adeo omnibus pie prudenterque consideratis, quis ita uelit esse morosus, quis tam imprudens, uti illa etiam facete dicta, quae, ut principio dixi, Graecis uocantur ἀποφθέγματα, eaque non tam ridicula, quam seria, audeat improbare, aut uerbis malis otiosisue annumerare. In tria autem genera **DOMITIVS MARSVS**,\*\* quem de urbanitate diligentissime scripsisse, **Quintilianus** auctor est, partitur seria, honorificum, contumeliosum, medium. Et honorifici quidem, eodem Fabio indice, ponit exemplum Ciceronis, pro Ligario,\*\*\* apud Caesarem, *Qui nihil soles obliuisci, nisi iniurias.* Et contumeliosi, quod Attico scripsit,\*\*\*\* de Pompeio et Caesare, *Habeo, quem fugiamus, quem sequar, non habeo.* Et medii, quod ἀποφθεγματικὸν uocat, et est, cum ita dixit,\*\*\*\*\* *Neque grauem mortem accidere forti uiro posse, neque immaturam consulari, neque miseram sapienti.*\*\*\*\*\* Quae omnia cum, eodem Fabio iudice, a Marso, homine eruditissimo, optime sint dicta, tum ultimum, e Cicerone allatum, serii apophthegmatici exemplum nos luculenter docet, multo ampliorem uerbo, cum ἀποφθεγμα dicimus, ex mente ueterum, subiectam esse notionem, quam recentiores sibi quidam persuadent. Plerique enim illud, cum **G. LONGOLIO**, interpretantur sententiam breuem, breuiter et scite dictum, scitam, breuem,

acu-

\* Institut. Orator. Lib. VI, c. III, p. 373, edit. Paris. Claudii Capperonnetii.

\*\* De Domitio Marso pluribus agit **ΒΡΟΥΚΗΝΣΙΩΣ**, ad Tibull. Lib. IV, Eleg. XV, ubi etiam fragmenta quaedam eius collegit, in quibus tamen nulla libri eius, de *Urbanitate*, mentio fit.

\*\*\* Cap. XII.

\*\*\*\* Lib. VIII, epist. VII.

\*\*\*\*\* Orat. IV, in Catil. c. II.

\*\*\*\*\* Apud **QUINCTILIANVM**, l. c. p. 395.

acutamque, responſionem, praeciſam ſententiam, ac breuiter circumſcriptam.\* Quae quidem interpretatio, ſi non coniunctim, ſed diſtribute, ſumitur, admitti quodammodo poteſt. Paulo autem ſubrilius philoſophatur KECKERMANNVS, qui, genus quoddam ſententiae eſſe, dicit, apophthegma. Sententiam enim, uel abſolute, uel reſtrictè, ſpectari poſſe. Reſtrictè ſpectari ſententiam, uel ratione auctoritatis magnae, quae uocetur oraculum, quales ſint ſententiae Dei, angelorum, item prophetarum, apoſtolorum, item ſententiae heroum, uel ratione acuti reſponſi, quae uocetur apophthegma. Hoc autem ita tandem definit, Apophthegma eſt ſententia ſingulariter acuta, breuis et rotunda, ad interrogationem praecedentem prolata, qualia ſunt collecta a Plutarcho, etc.\*\* At enim uehementer uereor, ut haec Keckermanni definitio dimidiae apophthegmatum, a Plutarcho collectorum, parti accommodari poſſit. Neque uero omnibus probatur RAPHAELIS REGII, quam plerique falſo tribuunt Eraſmo, apud hunc nuſquam reperiendam, definitio, qua, Apophthegmata nihil aliud eſſe, ait, quam acuta quaedam et breuia, non cuiuſlibet quidem, dicta, ſed oratorum, ducum, legiſlatorum, imperatorum, regum, ac, ut ſemel dicam, illuſtrium uirorum.\*\*\* Ingenue enim fatetur HENR. STEPHANVS, qui et ipſe, hanc Eraſmi eſſe definitionem, credidit, ſe non uidere, cur illuſtribus uiris peculiaria eſſe apo-  
phtheg-

---

\* In Lex. Graeco-Lat. h. u.

\*\* In System. Rhetor. p. 248, ſeq.

\*\*\* In Dedicacione, ad Ioan. Lubrancium, Poſnanienſem Epiſcopum, interpretationi ſuae Latinae Plutarchi regum et Imperatorum apophthegmatum praemiſſa. LONGOLIVS, alique, qui hanc definitionem Eraſmo tribuunt, unum modo uerbum mutant, et, pro, *legiſlatorum*, habent, *legatorum*.

phthegmata putanda sint.\* Sed utcunque erit, in id potius, missis Rhetorum definitionibus, inquirendum hoc loco nobis esse, arbitramur, qualia esse debeant apophthegmata, si, non modo ad rectam rationem, sed etiam ad sacras literas, tanquam ad lydium lapidem, exigantur. Qua quidem in re, non possum, quin denuo ad BALDVINVM recurram, quippe qui tales de iocis et salibus generatim, atque adeo de ipsis etiam apophthegmatibus, praescribit regulas, siue, ut ICTI loqui amant, cautelas, quales nemo dare poterit meliores. Ita autem praecipit ille, regula I, loci sint docti, qui moralia quaedam sua urbanitate tacite instillant. II, Ad iocandum non abutamur sacris scripturis. III, Iocantes, non se ipsos tantum, sed et aliorum sales libenter audiant. IV, Obscoena si qua forte excidunt, ambitu uerborum tegenda sunt. V, Non iocemur semper in aliorum gratiam, ne nos ipsos prostituamus. VI, Iocemur in tempore. Nam, apud tristes iocari, intempestiuum est, ut et in re seria. VII, loci non sint affectati, aut nimium frequentes, multo minus lasciui, quibus facilis est ad scurrilitatem prolapsus.\*\* Quod si ita comparata, atque his Balduini praecipitis conformata, fuerint apophthegmata, usus sane eorum adeo est insignis, ut nesciant fere apophthegmatum, tum sacrorum, tum profanorum, uel interpretes, uel collectores, SIMON GOVLARTIVS, IO. BVXTORFIVS, PLVTARCHVS, RAPHAEL REGIVS, ERASMVS, CONRADVS LYCOSTHENES, IVL. GVIL. ZINCGRAEF, QVIRINVS PEGEVS, alii, quibus ea laudibus efferre debeant et commen-

\* In Thesouro Graecae Linguae, Tom. IV, p. 138.

\*\* Commentar. in Epist. ad Coloss. I. c. p. 240. Pluribus autem de his egit,

Commentar. in Epist. ad Ephes. I. c. p. 274, seq.

mendare.\* Paucis quidem, at eo neruofius, de apophthegmatibus differit FRANC. BAGO VERVLAMIVS, Aristoteles ille Anglicanus, Apophthegmata, inquit, non tantum ad delectationem et ornatum profunt, sed ad res gerendas etiam, et usus ciuiles. Sunt enim (ut aiebat ille) ueluti *secures*, aut *mucrones uerborum*, qui rerum et negotiorum nodos acumine quodam secant, et penetrant. Occasiones autem redeunt in orbem, et, quod olim erat commodum, rursus adhiberi, et prodesse, potest, siue quis ea, tanquam sua, proferat, siue, tanquam uetera. Neque certe de utilitate eius rei ad ciuilia dubitari poterit, quam Caesar dictator opera sua honestauit.\*\* Prae reliquis autem uniuersum hoc genus, quod prouerbia, sententias, insigniter dicta, factaque, complectitur, accommodatissimum esse Principibus uiris, recte censet ERASMVS, utpote quibus, ob reipublicae negotia, non uacet, magnam uitae partem libris impendere. Haec autem, prout cum uoluptate discantur, facileque insidant animo, ita longe plus habere Philosophiae in recessu, quam prima fronte prae se ferant. Adeoque Caesarem Augustum, quicquid usquam talium praeceptorum nactus esset, describendum curasse, et ad uaria loca mittere consueffe.\*\*\* Tantum igitur

---

\* In Dicationibus, et Praefationibus, operibus suis praemissis. Adde his Io. COMBESIVM, qui Enchiridio Apophthegmatum, ex omnibus, prout in Dicatione scribit, qui argumentum huiusmodi excoluerunt, *summo studio ac labore* selectorum, cum tamen totus Liber ex Lycosthene, cuius nullam usquam mentionem fecit, sit exscriptus, praemisit docti cuiusdam uiri, de apophthegmatum usu, sententiam, egregiam quidem illam, sed, quae multo copiosior est, quam, ut hoc loco addi possit.

\*\* De Augment. scient. Lib. II, c. XII. Vid. OO. p. 58, seq. ed. Francof.

\*\*\* In Dicatione, suae Apophthegmatum collectioni praemissa.

igitur tamque insignem apophthegmatum usum cum diligenter apud se perpenderet, pietate et prudentia omnium praestantissimus Princeps, FRIDERICVS III, Saxoniae Dux, et S. R. I. Septemuir, sapientiae illud domicilium, consiliorum thesaurus, morum speculum, decus Principum, et disciplina Ducum,\* quemque incredibilis sapientia, et paene diuina, SAPIENTIS cognomine aeternitati consecrauit, non modo mirifice delectabatur apophthegmatibus, sed insigniores quoque aliorum, si quas in profanis etiam scriptoribus, quos sedulo euoluebat, reperiret sententias, more rituque Caesaris Augusti, schedulae inscriptas, uti eas semper in conspectu haberet, affigebat parieti, easque, in colloquiis, cum eruditissimis uiris familiaribus, frequenter usurpare solebat.\*\*\* Quo pacto fieri non poterat, quin in scite acuteque dicendi genere eam sibi acquireret copiam, uti tandem ipse, tanquam Princeps

B 2

inge-

\* Consignauit haec, et alia huius generis elogia Friderici III, eius temporis Scriptor Pegauiensis. Conf. LAVRENT. FAVSTVS, de Elect. Sax. p. 181. ELIAS REVSNERVS, in stemmate Wittichindeo, p. 40. DAV. CHYTR. in Sax. p. 52. Io. ROSINVS, in Vita Frider. Sap. MELANCHTHON, Tom. II, Declamat. in Orat. pro eo habita, CONR. SAM. SCHVRTZELEISCHIVS, Dissert. XLVIII, de Friderico III, §. VIII.

\*\* Vid. ROSINVS, l. c. Memoratu quoque digna sunt uerba, quae, ea de re, consignauit GEORG. SPALATINVS, in Vita Frider. III MSC. (qui codex in Bibliotheca Celsissimi PRINCIPIS nostri asseruatur) Lib. I. cap. VON DIESES CHURFÜRSTENS SPRICHWÖRTERN. Dieser Churfürst zu Sachsen hat auch viel feiner Sprichwörter pflegen zu führen, welches auch gewislich eines weisen und hochverstandigen Hertzen beständig Zeichen gewest ist. Hat auch ohn das viel von alten Sprichwörtern gehalten, daß auch Ich Spalatinus, etlichmahl aus Seiner Churfürstl. Gnaden Mund gehæret habe: daß die Sprichwörter gemeiniglich so wahrhaftig waren, als das heilige Evangelien.

ingenio promptus, rerumque usu peritissimus, talia tam-  
que egregia, et ex prudentia maxime rectoria petita, ef-  
fingeret, et, quavis data occasione, eloqueretur, apo-  
phthegmata, qualia, post Salomonem, uix ore protulit Sa-  
pientum ueterum quisquam, Principum certe, uel pru-  
dentissimorum, nemo. Cum autem, iudicio D. LVTHERI,  
qui ea sine dubio, ab ore dicentis, suis saepe auribus, cum  
uoluptate, excepit ipse, turpissima foret iactura, si, per  
negligentiam, tam egregia tanti tamque prudentis Prin-  
cipis apophthegmata, una cum ipsius corpore interirent,  
aut uetustate obliterarentur,\* neque imprudenter lex-  
istimare mihi uideatur ERASMVVS, aliquanto consultius esse,  
pueros, in ludis literariis, huiusmodi thematis, exerceri,  
quam uulgaribus,\*\* constitutum mihi est, auditoribus  
meis deinceps, ubi se obtulerit occasio, singula FRIDERICI  
sapientis apophthegmata, tanquam materiam proponere,  
qua non modo copiam dicendi, sed, una etiam opera, re-  
rum maxime ciuiliu prudentiam, sibi comparare pos-  
sint. Quod igitur felix, faustum, fortunatumque sit,  
prodibunt iam primo loco, ea oblata occasione, qua uix  
optatior dari potuisset, duo, in fronte tabulae nomi-  
nati, oratores, et bina FRIDERICI Sapientis apo-  
phthegmata, pro suis quisque uiribus, interpretabuntur.  
Quorum

PRI.

\* LVTHERI uerba haec sunt, in Tract. *Ob Krieges. Leute auch im seligen  
Stande seyn kœnten, Ich muß hie Hertzog Friedrichs zu Sachsen Chur-  
fürsten gedencken zum Exempel, denn es Schade ist, daß solches klug-  
gen Fürsten Sprüche sollen mit seinem Leibe sterben.* Vid. OO. Ien.  
Germ. T. III, p. 324.

\*\* loco, supra citato.

PRIMVS;  
de paterno FRIDERICI Sapientis, in populum  
sibi obnoxium, amore,  
perorabit, atque hunc maxime ex illo Eius apophthegmate  
demonstrabit, quo, *Satis magnam, et nimiam quidem, iac-  
turam fore, dicebat indulgentissimus Princeps, si uel unum  
tantum hominem ex exercitu desideraret,\**

ALTER

singulari, ac paene diuinam, ILLIVS, in capiendis  
consiliis, prudentiam

admirabitur, occasionem ipsi suppeditante alio pruden-  
tissimi Principis apophthegmate, huius argumenti, *Audi-  
mus quidem, et cum attentione audimus, quid in medium af-  
ferant nostri consiliarii, sed non confestim ea omnia probamus,  
nisi etiam nobis uideantur recta esse, ac salutaria.\*\** Denique,  
cum cognatio Apophthegmatum et Symbolorum, prout  
uulgo uocantur, uirorum illustrium, adeo sit coniuncta,  
ut duo haec, omnino diuersa, ab non nullis pro iisdem

B,

ha-

\* Proferimus hoc apophthegma ex interpretatione ROSINI, l. c. Germa-  
nice ita enarrat LVTHERVS, in Tract. *Vermahnung zum Friede, an bey-  
de Chur- und Fürsten zu Sachsen, Ich gedenck Hertzog Friedrichs,  
seliger Gedachtniß, da er mit Erfurd übel stund, wolten ihm etliche  
Krieger Erfurd erlauffen, wo er fünff Mann wagen wolt, Es were  
zu viel, sprach er, an einem Manne, so doch Erfurd viel ein ander  
Brate in die Küchen were, denn Wurtzen, Das war ein Fürst, Vid.  
OO. Ien. Germ. T. VIII, p. 41.*

\*\* Sunt et haec uerba ROSINI, l. c. LVTHERVS autem hoc apophthegma  
ita Germanice profert, *Hertzog Friedrich, Churfürst zu Sachsen,  
sagte einmahl: Wir hoeren wohl, was unsere Ræthe rathen, fol-  
gen ihnen aber nicht allemahl, denn in dem, was wir selbst für  
recht und gut erkennen. in Colloquiis, cap. XXXVIII, p. m. 478.*

habeantur, cumque, uix quenquam Celsissimorum Prin-  
cipum reperiri posse, existimem, qui potiore iure cum  
FRIDERICO Sapiente conferri possit, quam uera huius  
imago, qui dudum, in numis, *PRINCIPVM GEMMA*  
dictus est, FRIDERICVS II, PATER PATRIAE CLEMEN-  
TISSIMVS, orator

TERTIVS

FRIDERICI II, PATRIS PATRIAE indulgentissimi  
prudentissimique, Symbolum,

*AMORE ET PRVDENTIA,*

pie deuotissimeque considerare instituit, atque, in hoc Sym-  
bolo bina illa, superius allata, FRIDERICI Sapientis apo-  
phthegmata, non modo repetita, sed innumerabilibus etiam  
CELSISSIMI PATRIS PATRIAE, incredibilis AMORIS et PRVDEN-  
TIAE, documentis et monumentis comprobata esse, et con-  
firmata, quantum in ipso erit, conabitur demonstrare.  
Quod itaque pie facere instituerunt, hi oratores iuuenes,  
bonaequae spei, neque indocti, alumni, ut idem audacter  
et confidenter faciant, frequentia et gratia sua efficient  
ILL. Gymnasii PATRONI, FAVTORES, et literati Viri omnium  
ordinum, atque adeo, id quod meo Collegarumque nomine,  
qua par est, obseruantia, rogo, crastino die, post horam VII,  
ante meridiem, in auditorio CLASSIS PRIMAE, preces suas  
cum scholasticorum uirorum et alumnorum uotis, con-  
iungent, et, pro salute atque incolumitate PATRIS PATRIAE  
indulgentissimi prudentissimique, pia uota nuncupabunt.

P. P. GOTHAE, ipso die NATALI DOMINICO,

A. R. S. c1o lccc xxviii.





Prin-  
cum  
uius  
MA

EN-

at

i

ps

ym-

apo-

tiam

DEN-

con-

rare.

nes,

acter

cient

ium

ine,

VII,

sub

con-

RIAE

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

unt.

QK 7c 1706

AC



VD18


ULB Halle

3

008 901 120







*Q. XVII, 21.* *T. 211.*

FRIDERICI SAPIENTIS  
SEPTENVIRI SAX.  
BINA APOPHTHEGMATA  
IN SYMBOLO  
SERENISSIMI PATRIS  
PATRIAE  
REPETITA  
ATQVE SVB  
HVIVS NATALEM EXOPTATISSIMVM  
FINEMQVE LVSTRATIONIS  
ILL. GYMNASII  
GRATVLANDI CAVSSA  
PVBLICIS SERMONIBVS ILLVSTRATA  
AB  
ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI  
ALVMNIS SELECTIS  
ERNESTO MVLLERO  
WALHUSA-THVRINGO  
IO. CHRISTOPHORO RITTERO  
CABARZO-GOTHANO  
IO. GOTHOFREDO GRVSS  
GOTHANO  
QVOS  
PIIS VOTIS BONISQVE OMINIBVS  
SOLENNIBVS PVBLICIS INTERSTREPENTES  
PRODVCI  
IO. GODOFREDVS LESCHNERTVS  
ILL. GTMN. P. P.

GOTHAЕ, LITERIS REYHERIANIS.

